



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio XXXIII. Argumentum. Declaratur illæ Theologorum exceptiones; quod pretium in mutuo non sit Usura ob lucrum cessans; vel ob damnum emergens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

Confessario, statim absolvi poterit; nisi compererit, aliàs iterum proposuisse, & non restituisse, quia in hoc casu Confessarius se difficilem reddere debet, & cautionem petere; quamvis, si mors imminet, & moraliter certus sit, hæredes esse restitutos, poterit poenitentem absolvere, ut ait Sylvest. *Verb. Restitutio*. 6. §. 1. Card. Tolet. *d. lib. 5. cap. 36. in fin.* Tambur. *d. cap. 9. §. 1. & 2.* ubi etiam docet, quando heres, Filius, donatarius, vel legatarius Usurarii teneantur restituere.

DECISIO XXXII.

ARGUMENTUM.

Redduntur rationes octo, ob quas Parochi debent inhabitare domum Parochialem.

SUMMARIUM.

1. Officium Parochi in quibus consistat?
2. Benevolentia Parochianorum quomodo acquiratur?
3. Ecclesia Parochialis est Parochi sponsa.
4. Parochi à secularibus conversationibus debent abstinere.
5. Rei è domo Parochi extrahi non possunt.
6. Parochianorum frequens accessus ad Parochum.
7. Domus Parochialis quorum expensis sit reficienda?
8. Parochi tenentur de precepto inhabitare domum Parochialem.

Quibus rationibus debeat Parochus domum Parochialem inhabitare.

Dictum fuit ex sequentibus.

1. Primò. Ob Assistentiam. Cum enim Parochi officium sit reſidere, populum docere, eidem Sacramenta administrare, & præcipuè infirmos frequenter invifere, & pauperum curam habere. Poſſev. *de Offic. Curati* cap. 1. Filliuc. *tract. 28. cap. 5. quæſt. 7. num. 100.* hæc omnia ut bene adimpleat, ſas eſt, Parochialem domum habitare.
2. Secundò. Ob Benevolentiam; populus namque cum videat Parochum in propriis ædibus aſſiduè commorantem, & plebis ſuæ ſpiritualibus neceſſitatibus conſulentem; magna benevolentia, & obſequio illum proſequitur. Barboſ. *de Offic. Paroch.* cap. 8. num. 34.
3. Tertio. Ob Convenientiam, ſiquidem ferè omnes Parochiales aëdes exiſtunt propè Eccleſiam, quæ cum ſit ſponſa Parochi, convenit, ut ei adhæreat, juxta illud *Matt. 19.* Propter hoc relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit uxori ſuæ.
4. Quarto. Ob Decentiam. Quia Parochus debet non ſolùm abſtinere à ſecularibus conversationibus, negotiis, & mulieribus; ſed etiam à ſuſpicionibus. 1. *ad Theſſal. cap. 4.* Sylveſt. *Verb. Scandalum.* num. 2. Id autem decentiſſimè præſtat, habitando domum Parochialem, & ſegregatam à parentibus vitam ducendo.
5. Quinto. Ob Excellentiam. Nam domus Parochialis eſt quid religioſum, ſpirituale, & Sacrum; idcirco gaudet immunitate Eccleſiaſtica; & ex ea extrahi non poſſunt Rei, qui ut ſalventur; confugiunt in illam; nam ut plurimum ipſa eſt intra præſcriptum ſpatium. Decian. *in Tract. Crim. lib. 6. cap. 25. num. 16.* Ambroſin. *de Immun. cap. 10. numer. 8.* Bonacin. *tom. 2. circa Prima Decal. Præcept. diſp. 3. quæſt.*

7. punct. 4. numer. 7. Chartar. *Deciſ. Crimin.* 46. num. 20. Marc. Mantua, *Juriſconf. Patavin. conſil. 211. lib. 1. Nicolius tom. 1. lib. 1. tit. 8. num. 20. pag. 28. & Pignatell. Conſult. tom. 1. Conſult. 465.*

Sexto. Ob Frequentiam. Cum enim ad Parochum plebs frequenter accedat diù, nocturne pro Sacramentis, atteſtationibus, & aliis neceſſitatibus, faciliorem habet acceſſum ad domum Parochialem.

Septimo. Ob Indigentiam. Quia ſi reſtaurari contingat ipſa domus, Parochus poterit à populo obtinere, uſ indigentia ſuæ ſubveniatur, & expenſis Parochianorum reædiſcetur. Fagnan *in cap. Extirpandæ. §. Qui verò num. 20. de Præbend. Paul. de Cittadin, de Jurepatr. par. 6. art. 5. num. 7. pag. 72.*

Octavò. Ob Obedientiam; quia Parochi domum Parochialem inhabitare tenentur de Præcepto tùm Decretorum Sacr. Congregationis, de quibus Barboſa *in Deciſ. Apoſt. Verb. Parochus* quo ad reſidentiam num. 4. Garz. *part. 3. cap. 2. num. 179.* Zerola *in Praxi Episcop. Verb. Parochus.* Verſ. Quarto tùm Synodaliū Conſtitutionum hujus Patavinæ Eccleſiæ *par. 2. cap. 11. Verſ. A Parochiali &c.* ibi *Ædes juxta eamdem Eccleſiam, & gregem ſuum Parochi deſtinatas inhabitent.*

DECISIO XXXIII.

ARGUMENTUM.

Declarantur illæ duæ Theologorum exceptiones; quod pretium in mutuo non ſit Uſura ob lucrum ceſſans: vel ob damnum emergens.

SUMMARIUM.

1. Lucrum ceſſans quid ſit?
2. Damnum emergens quale eſſe dicatur?
3. Condiciones ne ſit Uſura pretium ob lucrum ceſſans.
4. Lucri ceſſantis computum qualiter faciendum?
5. Valor lucri ceſſantis an ſtatim à mutuante exigi poſſit?
6. Uſura ob lucrum ceſſans non permittitur in ſoro ſori.
7. Damni emergentis quot ſint condiciones, ne ſit Uſura?

Nunc referenda veniunt tria ſequentia

Quæſita valdè neceſſaria, ac utilia.

PRIMUM QUÆSITUM.

Quid ſit lucrum ceſſans?

Ad hoc Quæſitum concorditer reſponſum fuit; eſſe illud lucrum, quod probabiliter acquireremus, ſi noſtrum alteri non concederemus. E. G. Ego habeo paratam pecuniam ad merces emendas, & negotiandum, & ex negotio illo probabile eſt me lucraturum. Si tibi do mutuam dictam pecuniam, inſurgit mihi lucrum ceſſans. Tamburin. *de Triplici Jur. libr. 9. tract. 1. cap. 3. §. 3.* Card. Tolet. *lib. 5. cap. 32. & 33.* Card. de Lugo. *de Juſt. & Jur. diſp. 25. ſect. 6.*

SECUNDUM QUÆSITUM.

Quid ſit Damnum emergens?

Pariter dictum fuit, eſſe illud, quod patimur in noſtris bonis, quæ poſſidemus, eò quod alteri illa damus. E. G. Ego paravi du-

catos centum, ut Dadias solvam mei beneficii. Tu petis mutuo à me illam pecuniam, ideòque ut tibi faveam, Dadiasolvere non possum, & penam incurro decem pro centum; quæ decem dicuntur damnum emergens. Tambur. & Tolet. ubi supra. Trullench. in Decalog. lib. 7. cap. 19. dub. 8. Rebell. de Oblig. Just. lib. 8. quasi. 5. & Card. de Lugo d. disp. 25. sect. 6. in princip. ubi bene ait, Damnum emergens afferre jacturam eorum, quæ habemus, Lucrum verò cessans eorum, quæ speramus.

TERTIUM QUÆSITUM.

Uterius fuit quæstum. An sit Usura recipere lucrum in mutuo ob Lucrum cessans? Vel Damnum emergens?

OMnes dixere, non esse Usuram, si sequentes conditiones fideliter observentur; Nimirum.

- 3 Ob lucrum cessans. Prima conditio est, quod mutuum verè sit causa tui lucri cessantis, ideo requiritur; ut pecuniam, vel rem, quam mutuo das, destinaveris ad negotiandum, vel lucrandum; & aliam otiosam domi non haberas. Cardin. de Lugo d. disp. 25. num. 90. Tamburin. in Decalog. d. lib. 8. tract. 3. cap. 8. §. 3. n. 11. novissimè Rosignol. in Praxi Theologicæ. De Mutuo, & Usura Prænot. 13. num. 8. ubi omnes notant, hanc otiosam excludere aliam pecuniam, quam mutuans haberet ad alendam familiam, dotandas filias, seu ad necessaria pro infirmitatibus, senectute, aut aliis indigentis, quibus diligens Paterfamilias tenetur prudentialiter, & opportunè esse paratus: & idcirco hac etiam existente pecunia, poterit de illa mutuo data lucrum cessans exigere, quia ut alii beneficium faciat, non tenetur se privare rebus, quibus moraliter opus habere potest. Navar. in Man. cap. 17. num. 212. Rebell. de Oblig. Just. lib. 8. quasi. 6. num. 2. Vers. Quæres. Et idem est dicendum, si omisisset negotiari, prævidens futuros esse, qui à se peterent mutuum pecuniam; sive in specie, ut de Petro, Titio, aut aliquo ex suis affectuariis, ut sentit Lessius d. lib. 2. cap. 20. dub. 11. num. 88. sive in genere de quocunque indigente, ut probat ipse Card. de Lugo ibid. à num. 92. & seqq. ea ratione quia prævidere in confuso, quod sit petenda mutuo pecunia ab aliquo, non impedit, quin dicta pecunia reservetur ad ejus commodum, & ad ejus instantiam retrahatur à negotiatione; & ideo licet ab eo lucrum cessans exigi potest; & idem DD. admittunt, si mutuans non absolute destinasset pecuniam ad negotiationem, sed anceps extitisset, an negotium faceret, vel non? siquidem illa probabilitas futuræ destinationis continet lucrum quamvis in potentia remota, & pro illa spe remota, & incerta, qua mutuans se privat, ut possit mutuare, facit licitam actionem lucri cessantis in summa, quæ conveniat non toti lucro futuro, sed illi spei, & probabilitati negotiandi. Tambur. d. cap. 8. §. 3. num. 11. & de Triplici Jure lib. 9. tract. 1. cap. 3. §. 4. num. 3. Bonacina tom. 2. de contract. disp. 3. quasi. 3. punct. 4. num. 13. Vers. Secundo sequitur. Cardin. de Lugo d. disp. 25. num. 95. & Mastrius in Theolog. Moral. disp. 5. num. 63.

- 4 Secunda conditio est, ut non exigatur ultra sortem, nisi quantum valere potest illud

lucrum cessans; & de hoc mutuarius admodum neatur, quod dupliciter fieri potest. Primo conditionatè, hoc est, ut mutuarius solvat quantum experientia ostenderit, te lucraturum, deductis expensis in tali negotiatione; vel usu, cui rem illam destinaveras. Secundo absolute paciscendo hic, & nunc quantum spes illa valere potest, attento periculo, expensis, & circumstantiis, sive postea lucrum futurum sit majus, vel minus. Rebell. d. lib. 8. quasi. 6. num. 3. Bonacina d. disp. 3. quasi. 3. punct. 4. n. 13. Vers. finem. Tamburin. ubi supra in Decalog. num. 13. & 14. & de Tripl. Jur. num. 7. & 8. & Cardin. de Lugo d. disp. 25. num. 97. & seqq. ubi disputat, an in hoc casu ex lucro sit aliquid detrahendum ob laborem negotiationis, qui cessat in mutuantem? Et cum pro utraque opinione extent Doctores, probabilis est utraque opinio; tum affirmativa, quia labor, potissimum si gravis sit, est pretio æstimabilis, quo cessante, cessare debet ejus pretium; tum negativa, quia cessatio à labore non est omnino voluntaria in mutuantem; qui præsumitur nolle otiosi, sed laborem subire, & omne majus lucrum sibi procurare: & hæc opinio magis aridet eidem Cardin. de Lugo ubi antea num. 97. & 98. & Tamburino in Decalog. d. lib. 8. tract. 3. capit. 8. num. 15.

Tertia conditio est, ut id, quod pro lucro solvitur, non solvatur statim à mutuuario, sed postea, Molina disp. 315. Lessius d. cap. 20. dub. 11. num. 99. Card. Tolet. lib. 5. cap. 33. Tamburin. in Decal. d. cap. 8. num. 16. & 17. ubi citat Caramuelem lib. 2. Theol. Moral. numer. 755. docentem, fieri posse duos contractus, unum mutationis, alterum venditionis, & ex hoc secundo, mutuantem posse statim exigere lucrum cessans à mutuuario in aliqua minori summa, quam verè futurum esset ipsum lucrum; & numer. 18. & 19. allegat Lessium, & Azorium duos alios modos asserentes; qui parum relevare videntur circa justitiam hujus actionis, quæ tota consistit in eo, quod verè mutuans posset ex re mutuata tantumdem lucrari; ut etiam advertit Zerola in Praxi Episcop. part. 1. Verb. Usura Vers. Quartum hinc fit; ubi notat, lucrum cessans permissum esse in solo foro conscientie, in quo creditur penitenti pro, & contra eum, secus autem in foro exteriori, ubi proceditur per præsumptiones, & probationes, quod etiam tenet Reginald. lib. 23. num. 84. in fin.

Itaque his tribus conditionibus servatis non est Usura, si lucri cessantis nomine aliquid ultra sortem exigatur in mutuo, & ratio est, quia licet pecunia secundum se sit sterilis, tamen ex industria mutuantis fit apta lucrum germinare; & quamvis industria ipsa non applicetur, id fit ex causa mutationis; ut demonstrat Rosignolus de Mutuo, & Usura de Prænot. 13. sub num. 7. & Cardin. de Lugo d. disp. 25. num. 87. ubi plures rationes cumulat, & Mastrius d. disp. 5. num. 64. & 65.

Ob damnum autem emergens. Tres pariter conditiones sunt servandæ. Prima, ut damnum emergat verè, & propriè causa mutui, ideo qui poterat alia pecunia, vel alio modo impedire illud damnum, non potest illud repetere à mutuuario. Secunda, ut nihil ultra exigatur, quam verè sit damnum ipsum. Tertia, ut

ut de hoc fiat pactum ab initio cum ipso Mutuario, cuius consensus est necessarius; nam, alioquin posset ipse nolle mutuum recipere cum hoc onere. Reginaldus lib. 23. num. 75 Tamburin. in Decalog. d. lib. 8. tract. 3. cap. 8. §. 3. Idem Tamburin. d. Triplici Jure d. lib. 9. cap. 3. §. 3. num. 4. Bonacina de disp. 3. quast. 3. punct. 4. num. 3. Rebell. d. l. 8. q. 8. Salas de Usur. dub. 18. Card. Tolet. d. l. 5. c. 32. Cardinal. de Lugo d. disp. 25. num. 72. Rosignol. d. tract. de Mutuo, Usur. Prænot. 13. num. 3. & Mastrius d. disp. 5. num. 58. & 59. ubi notant, adeo necessarium esse actum ab initio mutui de damno emergente solvendo; ut eo non interveniente (nisi mutuum vi, aut dolo exactum fuisset) mutuarius non teneatur ex iustitia ad illud refarciendum, licet ipsum mutuum fuerit occasio illius damni; quandoquidem obligari non potest, non vi contractus, qui non obligat nisi ad restituendum tantumdem, quod acceptum est; non ex pacto, quod fuit omisum; non ratione rei acceptæ, qua mutuarius usus est, tanquam Dominus; non ratione iniustæ acceptationis, seu damnificationis, quia ipse nec positivè, nec physicè, nec moraliter insuit in hoc damnum; & licet occasionaliter ex beneficio sibi factò, cum non sit ex sua culpa, nullum onus iustitiæ pullulat ad refarciendum, & ideo mutuans debet sibi imputare, quod de illo damno non caverit, ipsumque in pactum non deduxerit; & est sententia S. Thomæ quast. 13. de malo artic. 4. ad quartum decimum. Navar. in Commentar. de Usur. 14. quast. 4. num. 46. & in Man. cap. 17. num. 211. & Soti lib. 6. de iustit. quast. 1. art. 3. concl. 3. Excipiendus tamen est Casus, in quo mutuarius fuerit in mora, de quo infra. Mastrius d. num. 58.

His tribus servatis conditionibus non est Usura recipere lucrum in mutuo ob damnum emergens; quia est pretio æstimabile, & æquum non est, ut ratione beneficii gratis in favorem alterius collati, quis teneatur subire in sui detrimentum onera pretio æstimabilia. S. Thom. 2. 2. quast. 78. art. 2. ad 1. Card. de Lugo d. disput. 25. num. 72. ubi Scotum confutat, contrarium tenentem, & plurimos Doctores concordantes allegat, quos etiam cumulat Dicastill. lib. 2. tract. 10. disp. 2. dub. 4. num. 159. & passim omnes.

DECISIO XXXIV.

ARGUMENTUM.

Mutuans, qui ex mora mutuarii in restituenda pecunia mutuata, non potuit ludere aleis, nihil valet exigere ratione lucris cessantis. Plura de ludo Alearum, & de conditionibus veri lucris cessantis.

SUMMARIUM.

1. Damnum qui dat, illud refarcire debet.
2. Alearum, & taxillorum ludus prohibitus.
3. Lucrum ex ludo alearum in conscientia peti potest.
4. Leges prohibentes ludum alearum non sunt in usu.
5. Mutuans sperans lucrari ex pecunia mutuata potest à mutuuario aliquid lucris exigere.
6. Fraudes licite an dentur in ludo?
7. Interesse est solvendum creditori à debitore moroso.
8. Dies interpellat pro homine.

9. Lex negat actionem lusori alearum vincenti.
10. Lusor alearum in conscientia non tenetur solvere quod perdidit ludendo.
11. Lucrum cessans debet esse certum, ut quid exigatur supra sortem in mutuo.
12. Possibili posito, non sequitur necessarium.
13. Lusores alearum paupertatem incurrunt.
14. Mutuarius qui non promisit lucrum cessans, non tenetur ad illud.
15. Mutuans qui non erat licitam negotiationem facturus, non potest ex mutuo lucrum cessans prætere.
16. Clerici negotiari non possunt.
17. Alearum lusores sunt de Jure punibiles.
18. Causa ubi est incerta lucrum certum non deducitur.
19. Lusores alearum peccant mortaliter.
20. Lusor alearum perdens non tenetur in conscientia solvere.
21. Ludis fortuna non inest probabilitas lucrandi.
22. Mora debitoris in solvendo non dat titulum pro lucro cessante.
23. Culpa venialis in debitore moroso non sufficit pro plus exigendo.
24. Terminus solutionis intelligitur moraliter, id est saltem post spatium unius mensis.
25. Philippi Mancini lusoris alearum pia conversio.

Porro occasione lucris cessantis resolvendus venit sequens Casus satis curiosus, & difficilis.

Titius recepit mutuo centum aureos à Cajo cum pacto restituendi illos in carnis privio. Distulit Titius restitutionem usque ad Pascha. Cujus, quia aleis, & taxillis ludere non potuit, ut solebat, perit aureos decem supra centum, ratione damni emergentis, seu lucris cessantis; quia totidem saltem, ut asserit, in ludo lucratus fuisset. Quaritur, An jure petat?

Nonnullis visum est probabile, quod Cajus jure petat ob sequentes rationes.

Prima. Qui iniuste dat causam damni, tenetur illud refarcire, cap. Dilecti 17. De Foro compet. cap. Pervenit. 2. & cap. Constitutus. 3. de Fidejussor. Navar. in Comment. de Usur. num. 42. Reginald. lib. 23. num. 70 Sed Titius mutuarius, non restituendo centum aureos habitos à Cajo, est causa efficax ejus damni. Ergo ad refarciendum tenetur.

Secunda. Si Cajus censendus esset non jure petere, ex eo proveniret, quod voluisset vel injusto titulo lucrari; videlicet ad aleas, & taxillos, qui prohibiti sunt, ludendo, cap. Episcopus. 35. dist. 1. Alearum. C. De Relig. & sumpt. fun. & aleat. vel actionem peccaminosam exercendo. Seu qui lucratur ludendo præsentem pecuniam ab eo, qui alienari valet, eam non tenetur restituere, & sit ejus verus dominus. Rebell. lib. 12. quast. 8. num. 3. Molin. disp. 513. & Card. de Lugo disp. 31. num. 60. Imò perdens tenetur in conscientia solvere. Rebell. ibid. num. 7. Neque actionem peccaminosam exercet, quia ludere etiam principaliter propter lucrum non est peccatum mortale, exclusis fraudibus. Molin. disp. 511. Sanchez lib. 1. Consil. cap. 8. dub. 24. num. 11. & Card. de Lugo disput. 31. num. 3. & 4. ubi notat, neque veniale esse, quando lucrum appetatur ad rectum finem sustentationis familiæ, vel status, quia leges prohibitorie tam Civiles, quam Canonice non sunt in usu, saltem quo ad laicos.